

V 9
4979





QK 213
QK 213, 5

Vg
4979

838

Q. D. B. V.

DE

INTERIM AUGUSTANO,

DISSERTATIO HISTORICA,

Quam

PRÆSIDE

L. ADAMO *Rechenberg*

Utriusq; Lingv. & Hist. P. P.

In

ACADEMIA LIPSIENSI

XXI. Mart. A. M. DC. LXXXIII.

H. L. Q. C.

tuebitur

WOLFGANGUS *Steger*

Augustoburg. Misnic. Philos. & B. A. Baccal.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI,

ANNO M. DC. LXXXIII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
SAALE

4



Sereniss. ac Potentiss. Electoris Sax.

PROTOSYNEDRII SACRI,

quod Dresda est,

**PRÆSIDI
ILLUSTRISSIMO,**

Domino meo Gratosissimo,

Nec non

**Ejusdem ASSESSORIBUS ac
CONSILIARIIS ECCLESIASTICIS,**

VRIS

**Magnifica autoritate, & meritorum,
amplitudine maxime conspicuis,**

DOMINIS ac PATRONIS

Optimis, Maximis,

HANC DISSERTATIONEM,

in devotissimi cultus tesseram,

D. D. C.

Wolfgang Steger.



B. C. D.

BREVIARIUM DISSERTATIONIS.

1. Dispositio ac ordo hujus Dissertationis.
2. Occasio prima formulæ INTERIM scribende, dissidium religionis.
3. Componendi hujus causa concilium Protestantes à Cesare petiere.
4. Caesar juste Protestantium petitioni tandem annuit.
5. Pontifex R. concilium Tridenti indicit, quod abrumpitur & insidiosè transfertur.
6. Ejus instaurationem Caesar urget.
7. Quod dum Papa protelat, Caesar de formula INTERIM cudenda cogitare cepit.
8. Consilium cum Ordinibus Imperii communicat & scriptores Formulæ deligit.
9. Causa, cur Pflugius, Heldius & Islebius fabricatores Formulæ lecti.
10. Sophistica libri compositio.
11. Ratio nominis & varia ejus cognomina.
12. Numerus capitum libri.
13. Summa capitum ex Sleidano.
14. Promulgatio libri.
15. Displicet Protestantibus æque ac Pontificiis.
16. Pontifex R. non magnopere impugnandum censuit librum.
17. Offendit tamen clerum Romanum.
18. Due ejus factiones circa hunc librum censendum ortu notantur.
19. Protestantes quoad hoc negotium in tres classes divisi.
20. Ad primam Joachimus Elector Brandenburgicus pertinet, qui apertè approbavit librum.
21. Ad secundam Mauritius Elect. Sax., qui illum statim rejicere dubitavit.
22. Cum Ordinibus provinc. de eo contulit sententias.
23. De Philippo Landgravio incertum, ad quam classem referendus, approbantium, an improbantium.
24. Ad tertiam (improbantium) pertinet Johann Fridericus Elector Saxonie magnanimus & pius.
25. Et Johannes Marchio Brandenburgensis.
26. Nec

26. Nec non Wolfgangus Bipontinus Princeps: 27. Inter civitates imperii quædam subscribere libro coactæ, Ecclesiæ ministris interim discedentibus. 28. Quædam planè invitæ eum receperunt: 29. Civitates in Saxonia inferiori, quæ constanter librum rejecerunt. 30. Scriptores qui interim Augustanum vel directè vel indirectè impugnârunt: 31. Origo inde certaminis adiaphoristici: 32. Melanchthon de eo suspectus male audire cæpit: 33. Defenditur, quod non approbaverit Interim Augustanum. 34. Fuit erga Pontificios justò mitior: 35. Formula tamen Interimistica osor ac hostis: 36. Error, cuius reus fuit, notatur gravissimus. 37. Scriptores Protestantium qui directè impugnârunt Interim Augustanum. 38. Qui inter Pontificios fuerint illius antagonista: 39. Quomodo controversiæ Interimistica tandem sopita. 40. *Ἰννεσιος* de Caroli V. consilio Interimistico. 41. Applicatio *Ἰννεσιος* ad consilium Syncretisticum cum Epilogo.

§. I.



DE INTERIM AUGUSTANO, sive formulâ Religionis, quam superioris seculi anno XLVIII. Carolus V. Imperator Augustæ Vindelicorum, ad observandum *interim* promulgaverat, donec in concilio universali controversiæ hætenus motæ definirentur, historiam in compendio heic tradere constitui. Quod dum facere aggredior, ordo poscit, ut *Occasionem primum*, quâ permotus Imperator, hoc consilium ceperit, exponam: *Deinde* illius compositionem ac in Comitibus Augustanis postea factam promulgationem describam: *Tandem* & eventum, seu turbas ac contentiones inde in imperio ortas commemorare non intermittam.

§. II.

Ac, ut primum *Occasionem*, quæ Carolum V. ad hoc confi-

consilium ineundum movit, percensendam, altius ex historia illius temporis repetendum est, quod, postquam *Martinus Lutherus*, vir divini ingenii animique invicti, seculo proximè elapso, ope auxilioque divino nixus, Religionis Christianæ puritatem, ex verbo cœlesti, contra Pontificis R. placita asserere cœpisset; magni animorum motus in Germania concitati fuerint. Sacerdotes enim cum claustrorum gregibus, quorum falsam doctrinam & vitia *Lutherus* in Scriptis suis passim notavit, quicquid calumniarum texi poterat, id totis plaustris in ipsum & qui doctrinæ suæ adstipulabantur, exonerabant. Inde inter cives ac Principes S. R. Imperii similitates, contentiones & pugnæ natæ sunt fere exitiales. Quod ipse *Carolus* (1. in literis ad collegium Cardinalium, anno M. D. XXVI. datis, non dissimulare potuit.

§. III.

○ Has itaque calumnias, ut Protestantes in Germania amolirentur, turbasque evitarent novas, plus simplici vice, à *Carolo* Imperatore (2. *Concilium Christianum & liberum in Germania* indici, rogârunt; ut more in antiqua Ecclesia usitato, Religionis controversiæ juxta verbi divini amussim, disceptarentur & aliquando componerentur. Recte enim existimabant, turbidos Sacerdotes cum monachis, quorum jugulum tunc quasi petebatur, nec acquieturos esse; nec à turbis inde ortis respiraturam Germaniam; nisi communis concilii autoritate, dissidium Religionis sopiretur, aut aboleretur penitus.

§. IV.

Eqvidem *Cesar* jam laudatus, primò fraudibus &

A 3 per-

(1. Apud Goldastum constitut. Imperial. Tom. III. f. 493.

(2. Hortled. de Caus. Belli Smalc. Tom. I. c. 4. f. 8. Sleidan. l. IV. commentar. de Statu Religion.

persuasionibus aduersariorum permotus, rem vi & armis potius tentare volebat; quàm iustæ Protestantium petitioni annuere. Sed cum postea intelligeret, rem hoc modo non posse confici, & immitte esse consilium, cæde grassari in dissidentes religione, quæ cogi nesciat; non amplius vi atque sæuitia utendum censuit. Præsertim cum Protestantium magnanimitatem & in amore veritatis constantiam deprehenderet planè insuperabilem. Ideo ad leniora consilia inclinari cœptum est, & de concilio habendo cogitatum; quanquam non ad mentem Germanorum Protestantium.

§. V.

Nam Imperator quidem à Præsule Romano, *Paulo III.* obtinuerat, ut is *Mantua* primum, mox *Vicentia* & demum *Tridenti* concilium indiceret; verum (3. id voto & petitioni Protestantium minime congruebat. Hi enim *christianum & liberum in Germania, Cæsaris autoritate cogendum* volebant. Quale non erat Tridentinum, quod propter aërem, ut ferebatur, loci minus salubrem, mox (4. interruptum & Bononiam translatum est. Quia Papæ nominato jam decretissimum erat, non permittere, ut extra ditionis suæ fines haberetur concilium, id quod post *Sleidanum*, (5. *Petrus Svavis* prolixius enarrat.

§. VI.

Carolus igitur Imperator Pontificis R. tergiversationes probè intelligens, ipsum per legatum denuò rogare dignatus est, ut, quæ jam Bononiam translata fuisset Synodus,

(3. Sleidan. commentar. l. XI. circa finem, & l. XII.

(4. Sleid. l. XIX. non procul ab initio & l. XXIII. prope finem.

(5. Sleidan. l. XVII. *Petrus Svavis* Hist. Conc. Trid. l. I. II. & III. sub initium. Confer Gravamina aduersus Synodi Tridentin. restitutionem seu continuat. à Pio IV. Pontifice indicta à D. Laurentio Tuppio Jcto edita 1565.

us, Tridenti mox redintegraretur. At ille cum legatum hunc audiret, concilii mentionem declinaturus, Cæsarem de restituenda Placentia, quam hic Mediolanensi ducatu adjungere decreverat, interpellabat. Dein proluxa oratione apud (6. *Sleidanum* legenda usus, causas, cur hac in parte eidem gratificari non posset, exposuit.

§. VII.
Atque exinde *Imperator* haut difficulter coniecit, *Papam R.* aut *generale* concilium declinare; aut in Gallia Regis *Henrici II.* gratiam, datâ opera, moras neçtere: Nationale vero habere concilium, dum Hispani præsules Tridenti adhuc commorarentur, ipsi non videbatur commodum. Itaque discordias in Germania ex Religionis negotio ortas, alio modo, antequam arma victricia contra Protestantes sumpta poneret, componere aggressus est. Nempe consilium ipsi incidit, aut etiam suggestum fuit, talem formulam religionis adornare, quæ Imperii Ordinibus (7. *INTERIM* ad observandum proponeretur, donec in Concilio generali, de fidei Christianæ controversiis transactum foret. Hac de causa per Mendozam Cardinalem Tridentinum, Papam sollicitabat, ut componendæ ejusmodi Formulæ idoneos Roma mitteret Theologos. quod cum præjudicium auctoritati suæ facere existimaret ille, in Cæsaris voluntatem consentire recusavit. Quamquam id minus prudenter factum esse, (8. *P. Maimburgius*, novus ille *Lutheranismi* calumniator verius, quam historiæ conditor notavit.

§. IIX.
Carolus interim, ut erat generosi princeps animi, hac

(6. *Sleidan.* Comment. de stat. Rel. l. XX. adde *Petr. Svav.* l. III. Hist. Conc. Trid.

(7. *Camerar.* in vita *Melanchthon.* p. 287.

(8. *Histoire du Lutheranisme* Tom. II. l. V.

hac importuna Pontificis recusatione offensus, re prius cum Ordinibus Imperii in Comitibus, quæ anno M D XLIX. habebantur Augustæ, communicata, triumviros id temporis non obscuros, *Julium Pflugium, Michaelem Heldium Episcopum titularem Sidonium, & Johannem Agricola, Islebius, alias dictum delegit*, qui ex libellis, ut vocant, memorialibus Cæsari (an Julio Pflugio solum, an aliis simul autoribus, incertum) datis, *Religionis hanc Formulam INTERIM servandam componerent*. Nam, ut ex *Actis colloqvii Ratisbonensis anno M. D. XLI.* habiti, constat, jam illo tempore ejusmodi libelli de reconciliatione & concordia Religionis sparsi, sed qui à Protestantibus, ut apud (9. *Goldastum*, legere est, rejecti sunt.

§. IX.

Fuerat autem id negotii, tribus illis nominatis viris à Cæsare datum, quod priores *duo* doctrinæ & insignis prudentiæ opinionem haberent. *Pflugius* enim propter librum de *Institutione hominis Christiani*, contra D. Lutherum editum, à Pontificiæ sectæ hominibus celebrabatur. *Heldius* non minoris eruditionis ac zeli in tuenda fide Romana credebatur; quippe qui *Catechesin Romanam, cum Moguntia esset suffraganeus, scripserat, & cui Martisburgensis Episcopatus, in præmii vicem postea collatus fuit. (10. *Pallavicinus* utrumque Pflugium & hunc, probi catholici elogio ornat. *Johannes* autem *Agricola, Islebiensis* dictus, ante sectæ Antinomorum adversus Lutherum promachus, à Joachimo II. Electore Brandenburgico, fautore hujus instituti singulari, (cui tum à concionibus sa. (cris

(9. Goldastus Recess. constit. &c. Imp. Tom. II. p. 182. seqq. & P. Svav. Hist. Conc. Trid. l. I. p. 10. seqq.

(10. Pallavic. Hist. Conc. Trid. l. X. c. 17. * Hanc refutavit anno 1550. Matthias Flacius, Interimistarum acerrimus antagonista.

cris erat,) tanquam idoneus Formulæ fabricator commendatus fuit, quemq; ideo *Casparus Aquila* postea sibi impugnandum sumsit. Hi, cum doctrinæ Lutheranae sinceriori infensi essent omnes, spem faciebant, Formulam iri compositum, quæ Pontificiæ sectæ parum sit derogatura. Et eventus etiam comprobavit, augurium ea de re non fefellisse prudentes.

§. X.

Quod *elaborationem seu compositionem libelli* attinet, sollicitè autores dicti operam navârunt, ut, Sophistarum more, doctrinam, quæ à Protestantibus INTERIM recipi debebat, oratione implexa & ambigua involverent. Nam præter *Sleidanum*, (11. *Petrus Svavis*, & hujus antagonista satis impudens, ex Jesuita Cardinalis (12. *Sfortia Pallavicinus* annotarunt, illum sapius fuisse sub incudem revocatum & immutatum, ut utriqve scilicet Protestantium & Pontificiorum parti adprobari posset. Astu ergò & fraude opus fuit in verbis, ne mens fabricatorum imbuta Pontificiorum placitis, statim omnibus pateret.

§. XI.

Huc respicit (13. *Joachimus Camerarius*, quando librum hunc *paucorum quorundam clandestina & tenebricosa operâ congestum & consutum fuisse*, ait. Apud (14. *Freherum*, ab ipso *μετὰ ξυρον σύγγεμα* vocatur. Sed appellationis veræ & usitatoris ratio, apud (15. *Goldastum*, Inscriptioe scilicet libri allata, melius declaratur: CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI DECLARATIO RELIGIONIS, QVA CONSTITUIT EXERCITIUM

B

RE-

(11. Petr. Svav. l. III. p. 323.

(12. Pallavicinus Hist. Conc. Trid. l. 10.

(13. in vita Melanchth. p. 288.

(14. Freher. Tom. III. Scriptor. Rer. Germ. f. 456.

(15. Goldast. Constit. Statutor. & Rescript. Imperial. Tom. II. f. 107.

RELIGIONIS, QVALE INTERIM ESSE DEBEAT
IN IMPERIO ROMANO, USQUE AD DEFINI-
TIONEM CONCILII GENERALIS, PUBLICATA
ET PROMULGATA, ET A STATIBUS IMPERII
ACCEPTATA IN COMITIIS AUGUSTÆ, XV. MAJI
ANNO M. D. XLVIII. Dicitur etiam *decretum Augusta-
num; Liber Augustanus; Sphinx Augustana.* Quæ nomina
facetis multa false dicendi postea occasionem dedere.

§. XII.

Quod capita ejus attinet, viginti quinque hætenus
inter Pontificios & Protestantes controversis constat, quæ
apud *Goldastum* latinè habentur; præmissa Cæsaris lauda-
ti præfatione & subjuncta ejusdem confirmatione. Equi-
dem (16. *Petrus Svanis* XXXV. capita cum completi asse-
rit. Sed vel errore typographi, numerus auctus fuit; vel
capita quædam illius in novas sectiones distribui oportet,
si hunc quidem capitum numerum conficere velimus.

§. XIII.

Summam libri vel capitum illorum, ex (17. *Sleidano*,
hæc transcribere, non erit dividia. *Primò præfatione*,
scilicet præmissa, tractat de conditione hominis ante lapsum,
& post lapsum; de redemptione per Christum; de charitate &
bonis operibus; de fiducia remissionis peccatorum; de Eccle-
sia, de votis, de potestate, de ministris Ecclesie; de summo Pon-
tifice; de Sacramentis; de sacrificio Missæ, de memoria, invo-
catione & intercessione sanctorum; de memoria eorum, qui
piè mortui sunt; de communionem cum sacrificio jungenda; de
ceremoniis & usu sacramentorum. Hæc autem inter a-
lia docentur: *opera illa, quæ præter mandatum Dei piè vel*
honestè suscipiuntur, & quæ vulgò dicuntur opera supereroga-
tionis,

(16. *Hist. Concil. Trid. l. III. p. 323.*

(17. *Sleid. l. XX.*

tionis, esse commendanda: non posse hominem sine dubitatione sua imbecillitatis credere, peccata sibi esse remissa: Ecclesiam habere potestatem interpretandi scripturas, ex iis elicendi & explanandi dogmata, potestatem juris dicendi, de rebus dubiis judicandi per synodum & condendi leges: unum esse, qui ceteris omnibus praesit summum Pontificem, ob prerogativam Petro concessam, huic universa gubernationem esse demandatam à Christo; sic tamen, ut ceteri etiam Episcopi partem sollicitudinis habeant in sua quisque ecclesia; confirmatione ac chrismate accipi Spiritum S. ut insidiis diaboli carnis atque mundi resistatur, & hujus sacramenti ministrum esse duntaxat Episcopum: sacerdoti enumeranda esse peccata, quae veniunt in mentem, satisfactione, quae in poenitentiae fructibus consistit maxime in jejunio, elemosyna, precatione, peccatorum causas exscindi, & temporalem poenam vel tolli vel mitigari, unctionem sacram inde ab Apostolorum aetate nobis esse traditam, ut vel corpori subveniat, vel mentem ipsam adversus ignita tela diaboli muniat; adhibendam igitur esse tunc, cum vitae finis imminere videtur; matrimonium sine parentum consensu contractum, debere esse ratum; sed liberos tamen pro concione monendos, ut parentes in consilium adhibeant: Christum in ultima coena sacramentum instituisse sui corporis atque sanguinis, primum, ut à fidelibus illud sumeretur, veluti cibus animae salutaris, deinde ut in ipsius mortis memoriam offerretur: nam duo esse omnino sacrificia Christi, unum in cruce cruentum, alterum, quo sub specie panis atque vini corpus atque sanguinem suum ipsi Patri obtulit, & post Apostolis eorumque successoribus illud in sui memoriam peragendum ad finem usque seculi commendavit, illo quidem genus humanum fuisse reconciliatum Patri, sed hoc non cruento, sicuti Deo Patri & representari Christum, non ut denuò peccatorum remissionem mereamur, sed ut morte Christi paratam reconciliatio-

liatio-

liationem fidei nobis applicemus, in hoc sacrificio quo mortem Christi recolimus, memoriam esse celebrandam sanctorum, ut ad Deum Patrem pro nobis intercedant, suisque nos meritis adjuvent, complectendos esse etiam mortuos, Deoque commendandos. Postea præcipitur, ut ceremonia veteres, quæ baptismo solent adhiberi, retineantur omnes, exorcismus, abrenunciatio, fidei professio, chrisma, ut in ceremoniis, quæ Missæ adhibentur, nihil mutetur, in singulis oppidis atque templis quotidie duæ Missæ ad minimum peragantur, ruri autem & in vicis, una, præsertim diebus festis, in canone Missæ prorsus nihil immutetur, & reliqua omnia servantur juxta vetus præscriptum, si quid tamen irrepsit, quod superstitioni causam dare possit, tollatur; vestes, ornamenta, vasa, cruces, altaria, candelæ, imagines, veluti monumenta quædam retineantur: preces ordinaria, & pia illa psalmodia minimè tollantur, & ubi sublata sunt, restituantur; mortuorum exequiæ de more veteris ecclesiæ peragantur, divorum quoque dies festi, sed & illi, quibus decreta sunt supplicationes, colantur: pridie Paschatis & Pentecostes aqua baptismi præparetur, consecratione solenni: luxus frenandi & animi ad officia pietatis excitandi causa, certis diebus ab usu carniû abstinenceatur & jejunetur: Postremò, licet optandum sit, plurimos inveniri ministros Ecclesiæ, qui castè vivant, tamen, quod multi passim uxores habeant, quas nolint repudiare, neque sine gravi turba mutari nunc istud possit, expectandum esse concilii decretum: idem quoque placere de iis, qui cœnam Domini sub utraq; specie percipiunt, sic tamen, ne reprehendant eos, qui diversum faciunt, nam sub utralibet specie Christi corpus atque sanguinem contineri totum. Hoc est compendium, libri paulo prolixioribus verbis consignati. de quo Thuanus recte sentit, capita eum complecti receptæ hætenus (apud Pontificios) religioni prorsus consentientia; nisi quod Sacerdotum

dotum conjugium non penitus damnet, nec carnis & sanguinis Christi sub utraqve specie communionem omnino rejiciat, sed utrumque tolerandum esse proponat, donec de tota re ex concilii sententia decernatur.

§. XIV.

Compositionem libri excipit ejus PROMULGATIO (18. à Cæsare Idibus Maji, dicto jam anno XLVIII. Augustæ Vindelicorum solenniter facta. Nam ipse convocatis omnibus Imperii Ordinibus, præfatus quædam de sua in Germaniam charitate, librum hunc publicè recitari jussit. Ibi *Electo Moguntinus* tanquam Cancellarius, in augusto Electorum confessu, non exquisitis prius Ordinum sententiis, consurrexit, ac veluti publico nomine, Cæsari pro tanto labore, studio, cura, diligentia, charitate patriæ maximas egit gratias; subjungens, utiqve æquum esse, ut decreto huic facto pareatur. Hanc gratiarum actionem Cæsar habuit pro assensu & approbatione communi; nec ullam post excusationem admisit, librum typis evulgari jubens, Latino simul & populari seu Germanico idiomate. Latinum exemplar apud (19. *Goldastum*; Germanicum *Recessibus Imperii Moguntiaë* excusis, insertum legitur. Quod deinde in linguam Italicam & Gallicam translatum fuisse, (20. *Petrus Svaavis* refert.

§. XV.

Facta ergò *promulgatione* solenni patuit librum hunc neque Papicolis neque Protestantibus approbatum fuisse. utraqve enim pars, etsi non eodem modo, eum repudiavit. Et quanquam Cæsar acerrimis verbis edixerat, ut ab omnibus Imperii Statibus reciperetur; tamen frustra fuit

B 3 hac

(18. Sleidan. l. XX. & ex hoc Thuanus Hist. l. IV.

(19. Goldast. Constit. Imp. l. c. id. Tom. II. Const. f. 340. seqq.

(20. Hist. Conc. Tr. l. III. p. 327.

hac quidem in parte Cæsaris auctoritas. Falsum enim est, quod (21. *Pallavicinus* scribit libellum hunc fuisse quidem vulgatum in comitiis; *non ita tamen, ut ejus observantia prescriberetur; sed ut Principum, qui aderant, sententia exploraretur.* At verò non tantum promulgatum, sed & anno M. D. LI. in Comitiis Augustanis, Decretis & Recessibus Imperii solenniter inferum fuisse, ex actis publicis, & (22. *Goldasto* formulam confirmationis Cæsareæ recitante constat. Nec *Maimburgius* in sua narratione supra adducta, hoc negare ausus est. Quamquam eventus docuit, minus prudenter heic fecisse Cæsarem. Id quod præter *Maimburgium* (23. *Sleidanus* (24. *Petrus Svavis* & (25. *Camerarius* noster diligenter annotarunt.

§. XVI.

Papa quidem *Paulus III.* senex sagacissimus, non magnopere librum hunc impugnare sustinuit, quia prævidebat Cæsarem, eo publicatò, Protestantes æquè ac Romano-catholicos graviter offensurum esse, magnoque molimine aliud nihil acturum, quàm ut novæ in Germania excitentur turbæ. Ideò mirabatur etiam principem magna alioquin prudentia conspicuum, talia moliri, quæ insolentis audaciæ speciem haberent. Etenim mente jam præcipiebat, doctrinam hujus libri Romano-Catholicis in universum magis quàm Curialibus displicituram; Protestantibus verò omnium maximè: neque opus esse sibi in ea impugnanda creare molestiam, quando certum esset, adversarios illam multò acrius confuturos esse. Itaque

(21. *Pallavic. l. c.*

(22. *Goldast. Const. Imp. Tom. II. f. 340.*

(23. *Sleidan. l. c.*

(24. *Pet. Svavis. l. c.*

(25. *Camerar. in vita Mel. p. 288. evolvi etiam potest Maimburgii Histoire du Lutheranisme Tom. Secund. l. V.*

que è re sua magis fore, ut omiffa illius correctione in pu-
blicum prodeat, quam ut cohibeatur, (26. censuit. Nam
etsi totus fere Papismus in ea stabiliretur; tamen quod ad-
versariis pauca quædam concessa essent; Pontificem pri-
us, Romam misso ejus exemplari, consulendum putavit
imperator. (27. Is deinde Cæsari per Cardinalem Sfon-
dratum has animadversiones aperuit: *ut Presbyter ordina-
tus ducat uxorem, & sacrum officium administret, esse inau-
ditum; consuetudinem illam sumendi cœnam Domini sub u-
traque specie, esse abrogatam, & in his duobus indulgendi fa-
cultatem nulli competere, præterquam Pontifici Romano &
concilio: Religionis antiquæ sectatores non esse his dogmatis
alligandos; verum si qui Lutherani velint ab incepto desistere,
non esse repudiandos, illud de duabus missis, intelligi debere so-
lum de Lutheranis: Psalmodias oportere ubique restitui: die-
bus festis celebrandam esse cujusque ecclesiæ patroni memori-
am: Iis qui jam sunt sacerdotes, aut postea fient, abstinend-
um esse à conjugio: sacrorum bonorum & jurisdictionis o-
portere fieri promptam restitutionem: constare enim de spolio,
nec utendum in eo forma juris ordinaria, sed de plano cogno-
scendum & manu regia consiciendum esse negotium. Hac
allata censura Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis Archiepi-
scopi, quibus ea communicata fuit, eodem plane modo Cæsari
responderunt, restitutionem imprimis urgentes, eamque per-
necessariam esse docentes, siquidem religio Christiana conser-
vari, & quibus in locis abolita esset, recuperari debeat: paci
quoque non aliter posse consuli.*

§. XVII.

Magis liber ille clerum Romanum offendit. Nam
ubi Romam exemplar ejus allatum esset, cum stupore ani-
mi

(26. vid. Petr. Svav. Hist. Conc. l. c. p. 325.

(27. Sleidan. l. XX. non procul à fine.

mi pæne omnes perceperunt, *Carolus* (28. Principem (ut vocabant) secularem, in conventu Ordinum Imperii, magna parte secularium, sustinuisse de Religionis negotio, non solùm in uno alterove articulo, sed in omnibus ferè capitibus ejus statuere. Viri docti ejusce temporis in memoriam revocabant *ἐνωλικόν* (29. *Zenonis*, *ἑκθεσίου* (30. *Heraclii*, & *τύπον* (31. *Constantis*, aliaqve id genus schismata ecclesiæ, quibus Imperatoriæ de Religione constitutiones causam dedisse arguebantur. His Caroli V. sæpius jam nominatum INTERIM accenseri posse credebant; subveriti ne Cæsaris hoc factum, proœmium esset tragœdiæ illius, quam in Anglia *Henricus VIII.* concitarat, *Capitis ecclesiæ* elogium sibi sumens: idqve eò majori cum ecclesiæ jactura, quod non insulæ unius finibus se includi pateretur; sed Hispaniam, Italiam, Germaniam & regiones finitimas videretur pervasura: specie quidem præ se ferens doctrinam catholicam, sed, quæ à Religione catholica toto cœlo distaret. Alii mitius de ausu Cæsaris sentiebant.

§. XIIX.

Nam in duas quasi factiones tum abiisse Præsules & sacerdotes Romanos, notum est. *Una* pars paullo fervidioribus consiliis indulgens, Cæsaris institutum omnibus modis improbavit. Quia ille instar Ebræorum Regis Ulsæ, thuribulum attrectasset, hoc est Papæ & Ecclesiæ Romanæ potestatem spirituales sibi arrogasset, de rebus fidei liberrime decernere ausus. Quod non sine magno præjudicio potestatis, Pontifici R. competentis, fieri posset. *Altera* pars Cæsaris causam agens, *librum Augustanum* tolerandum

(28. Petr. Svav. l. c. p. 324.

(29. apud Evagrium H. E. l. III. c. 14.

(30. ap. Spondan. Epit. Ann. Eccles. Baron. ad ann. 639. & Magdeburg. centuriat. cent. VII. c. IX. fol. 335.

(31. Spondan. ad ann. 648.

randum censuit: tum quod Religionem Pontificiam exceptis forte duobus capitibus, stabiliret ac Protestantes etiam ad eandem amplectendam adstringeret; tum quod Pontificis Potestati, parum aut nihil derogaret; cum Lutheranis *mera* (ut loquuntur,) *permissio*, & quidem ad brevè tempus fiat: Cæsarem hætenus habita temporis ratione, oportuisse totum Lutheranismum, in imperio tolerare; æquius ergò esse jam saltem quædam ejus placita, admittere, cum spes sit, illa etiam mox in concilio universalis abolitum iri: Prudentis Principis esse, minus malum, ad evitandum majus permittere. Propter has & similes rationes, Cardinalis *Moronus*, Pontifici svasit, ne Cæsari super hoc libro multum negotii aut molestiæ facesset. Id, quod etiam observasse Papam eventus docuit. Confer (32. *P. Svavem* & hujus antagonistam (33. *Pallavicinum*, nec non (34. *Maimburgium*, diversas asseclarum Pontificis sententias super hac formula, prolixius recensentes. In Germaniâ *Archiepiscopus Coloniensis*, contra, quàm à Cæsare in libro dicto præscriptum fuerat, egit. Nam cum per diœcesin suam illum publicaret, matrimonia sacerdotum jam contracta rescidit atque incesta pronunciavit, liberosque ex iis susceptos spurios esse jussit. Quod iniquum facinus (35. *Thuano* annotare placuit.

§. XIX.

Inter Protestantium Status ac Ordines Imperii *aliqui* hanc formulam lubentes receperunt; *aliqui* minas & potentiam Cæsaris latè patentem subveriti, eandem palam repudiare noluerunt audere; *aliqui* conscientiæ suæ

C

ratio-

(32. Petr. Svav. H. C. Trid. l. III. p. 324. seqq.

(33. Pallavicin. Hist. Conc. Trid. l. X. c. 18.

(34. Maimburg. Histoire du Lutheran. Tom. II. l. V.

(35. Thuan. l. IV. Hist. p. 350. edit. Paris.

rationem magis, quàm voluntatis Cæsareæ habentes, illam statim rejicere non dubitârunt: Quia Deo semper magis, quàm hominibus parendum esse recte judicabant.

§. XX.

Ad primam, ut distinxî, classem Elector Brandenburgicus (36. *Joachimus referendus* est. Hic enim, cum antea religioni conciliandæ incubuisset strenuè, non poterat non hanc novam conciliationis formulam approbare. Præcipue cum semper id operam dedisset, ut Cæsari placeret. Hanc ob causam ipse literis ad Senatum Argentinensem datis, *Bucerum*, Theologum non vulgaris dignationis, Augustam vocavit, persuasurus ipsi, ut libro jam publicè proposito subscriberet, suaquæ autoritate alios, ut facerent idem, permoveret. At verò Bucerus ubi huc venisset, librumquæ evolvisset, doctrinam Pontificiam inibi constitutam deprehendens, approbare illum constanter recusavit. Quod licet ægerrimè ferret *Joachimus*, cui ab *Islebio* persuasum fuerat scriptum hoc esse valdè moderatum, Bucerus tamen in sententia sua perseveravit, nec donis, nec minis à *Granvellano* propositis, ab ea se dimoveri passus est. Quare non absque vitæ discrimine Argentoratum revertit, mox in Britanniam, ut, ceu refert (37. *Camerarius*, tutior esset, discessurus.

§. XXI.

Mauritius novus Saxonix Elector, etsi novam Religionis Formulam quoad omnia ejus capita non probaret; tamen ne Cæsarem, quem nuper propitium expertus erat, statim offenderet, eandem apertè damnare subverebatur. (38. *Thuanus* ipsum cum *Palatino Electore*, sive metu, sive spe

(36. Sleidan. & Thuan. ll. cc.

(37. in vita Melanchth. p. 324. seq.

(38. Thuan. l. IV. p. 350.

spe inductos, urgenti Cæsari non admodum reclamasse, scribit. Fortè, quia minus consultum videbatur, Augustæ Imperatori obniti velle. Tutius erat post editum hocce decretum, discedere, id quod fecit (39. *Mauritius*. Ac ubi domum rediit, Ordinibus Provincialibus Misenæ convocatis, rem omnem proposuit, quæque sit voluntas Cæsaris declaravit. Hi, & promissum Cæsaris, & ipsius Mauritii urgentes, Religionem in Augustana Confessione propositam permitti sibi illibatam rogârunt.

§. XXII.

Quæ res, cum altioris indaginis esse videretur, placuit postea Principi optimo, ut Theologi Wittenbergici simul & Lipsienses ad deliberandum de hoc negotio adhiberentur. Quapropter conventus actus est primùm *Pegavia*, deinde *Celle*, post Juterboci, ubi præter Ducem Anhaltinum Georgium, Philippum Mel. & Joachimum Camerarium, etiam *Johannes Islebius* ab Electore Brandenburgico eò missus comparuit. In hoc *Mauritius* Elect. Sax. & *Joachimus* El. Brandenburgicus circa Formulam interim, quatenus toleranda, (40. transsegisse dicuntur. Tandem novis inde controversiis subnascentibus, *Lipsiæ* alius conventus indictus fuit, in quo nova religionis formula (*das kleine Leipzigerische interim dicta*,) conscripta est, quam Mauritii cives ac subditi in ecclesia sequi (41. tenerentur omnes. Atque hæc fuit novum quasi pomum Eridos, quod maximas in ecclesia Saxonica turbas excitavit.

C 2

Nam

(39. Sleidan. l. XX. f. m. 259.

(40. Formula transactionis apud Hortlederum de caus. Bell. Smalcald. Tom. II. l. 3. c. 86. Scholiis (ut creditur) Matthiæ Flacii illustrata legitur.

(41. Vid. den Beschluß des Land-Tags zu Leipzig / so im December des 48. Jahrs von wegen des Augspurgischen interim gehalten ist. Quæ decreta Nicolaus Gallus & Flacius Illyricus, præmissa præfatione, cum Scholiis ediderunt.

Nam *Nicolaus Ambsdorffius*, *Matthias Flacius Illyricus*, *Nicolaus Gallus* & *Joachimus Westphalus*, *Hamburgensium Ecclesiastes*, novæ formulæ architectis se opposuere, quod hi sub τὸ ἀδελφότητος nomine comprehenderent non solum ritus & ceremonias indifferentes, sed & doctrinæ minime indifferentis capita; atque hoc modo dissimulando, proderent religionem veram, sectæque Põntificiæ hæctenus eliminatæ, viam aperirent denuò patentissimam.

§. XXIII.

Philippus Hassiæ Landgravius tum captivus, ad Cæsarem literas scripsisse ferebatur, quæis & ratum se habere scriptum illud & curare etiam se velle, ut à suis observaretur, significârit. Enimverò cum ex aula Cæsaris emanassent, eas fictitias esse, aliqui putârunt, ut forsan aliis Ordinibus Imperii facilius persuaderetur receptio libri toties nominati. Certè in tota Hassia eum receptum fuisse, non constat. Quamquam (42. *Thuanus* de Hessi laudati constantia magis, quàm *Sleidanus* noster addubitare videtur. Putat enim captivitatis tædium hanc animi mutationem Philippo extorsisse; simul notans eum prospera superbè, adversa impatienter tulisse, longe diverso à Saxone ingenio, quem in secundis rebus nunquam supra modum elatum, multo minus adversis fractum hostes suos unquam vidisse, scribit.

§. XXIV.

Omnes Principes Protestantium, singulari quadam animi magnitudine (43. *Johannes Fridericus Dux & Elector Saxonie* hæctenus captivus superavit. Hic enim, licet semel atque iterum à Cæsare urgeretur, ut librum jam publicatum cum Filiis reciperet; constanter tamen eum
repu-

(42. *Thuan.* Hist. l. IV. p. 355.

(43. *Sleidan.* l. XX. prope fin. *Thuan.* l. IV. p. 353. & *P. Svav.* p. 330.

repudiavit, obtestans ipsum, ne contra conscientiam ex verbo DEI rectè informatam agere se juberet. Ministri etiam Cæsaris præcipui *Nicolaus & Antonius Granvellani*, necnon *D. Georgius Sigismundus Seldius*, minacibus verbis optimum Principem tentare audebant. Verùm ille, ut ante in causa Dei fuit impavidus; ita nihil à constantia & laudabili animi firmitate remisit unquam, etiam durius postea Cæsaris jussu habitus. Quinimò fidei suæ confessionem ab INTERIM Augustano alienissimam edidit, ut, si in custodia iniquissima mori se contingeret, INTERIM illud se ex animo, ad extremum usque vitæ halitum detestatum esse, constaret posteritati. Meretur hic post *Sleidanum & Thuanum* evolvi (44. *Hortlederus de causis Belli Smalcaldici*, qui Principis laudatissimi invictam animi constantiam prolixius describit.

§. XXV.

Similem ferè constantiæ laudem meruit *Johannes Marchio Brandenburgic9* Electoris Joachimi frater, qui non multò post editum hoc decretum, ipsum Carolum V. adiit & præfente Rege Ferdinando, subscriptionem libri à se postulatam deprecatus est, ac de suis in ipsum officiis quædam locutus, hac potissimum fiducia, se militasse ei bello proximo dixit, quod de religione sibi cavisset. Et quamvis Cæsar statim reponeret Ordinum Imperii consensum hunc esse, nec ab eo recedi oportere: ille tamen contra, non omnes consensisse, neque se bona conscientia decretum hoc laudare posse respondit, pactum atque promissum Cæsaris urgendo. Qui cum nihil proficere se videret, eum discedere Augusta (45. jussit: ne fortè suo vel exemplo, vel sermone aliorum animos, in hac sententia.

C 3

con-

(44. Hortled. de caus. B. Smalc. Tom. II. l. 3, c. 88. part. 1. 2.

(45. Sleidan. l. XX. Thuan. Hist. l. IV.



confirmaret. Hic domum reversus, Aug. Confessionem constanter retinuit, eoque sua ditione INTERIM Augustanum exclusit.

§. XXVI.

Johannis Brandenburgici laudabile exemplum secutus est *Wolfgangus Bipontinus Princeps* ex familia Palatina (46. à *Thuano*, *Bajoarus* dictus, qui Augustam à Cæsare accersitus, ut ratum haberet decretum sæpius nominatum, palam dixit, Religionem aliam nullam se novisse præter eam, in qua natus & ad hoc usque tempus educatus sit. Igitur ut sui rationem hac in parte Cæsar haberet, submissè petiit; addens se facturum esse, quantum omninò salva conscientia possit. Quo facto Cæsar quidem illum dimisit, mox tamen per literas & internuncios eundem denuò acriter urgere haud destitit; At (47. Princeps hic, quam semel induerat mentem generosam, eam exuere nefas censuit,

§. XXVII.

Inter *civitates Imperii* quædam comminationibus ac edictis minacibus Imperatoris territæ, INTERIM jam publicatum receperunt; ut *Augustana*, *Ulmensis* & *Sveviæ* civitates pleræque omnes, viribus quippe potentia Cæsaris resistendæ longè impares. Itaque Doctores Ecclesiastici, quos habebant sinceros, passim migrabant, ne quid sua professione committerent indignum. *Augusta Wolfgangus Musculus* discessit: *Halam Svevorum*, non sine magno discrimine *Johannes Brentius* reliquit: *Andreas Osiander* *Norimberga* etiam relicta, in *Borussiam* ad *Albertum* confugit. *Ulmensis* Ecclesiæ ministri ob INTERIM ab ipsis repudiatum, custodia mandabantur, mox duobus de-

(46. Thuan. l. c. p. 352.

(47. Sleidan. l. XXI.

desciscentibus, quatuor revincti catenis & impositi cur-
rui, Kirchenum, stipati circiter ducentis Hispanis (48. de-
vecti sunt.

§. XXIIIX.

Eqvidem fuerunt primum aliquot civitates, qui li-
brum hunc Augustanum repudiare non dubitarunt. Ve-
rum à Cæsare postea proscriptæ, ac partim etiam militum
libidini expositæ, nolentes volentes eundem recipere co-
actæ sunt: Ut *Constantia*, *Lindavia*, quarum pericula &
fata dubia (49. *Sleidanus* annotavit. Sola *Argentoratum*
inter civitates Imperiales illo tempore celebris, jugi Pon-
tificii impatiens constanter librum hunc Augustanum re-
jecit; nec, licet à Cæsare iterum iterumque urgeretur gra-
viter, eidem subscribere voluit. Quamquam Episcopo
ob temporis rationem, cedere aliquo modo cogebatur.

§. XXIX.

Civitates contra ad inferiorem Saxoniam pertinen-
tes non ignobiles, *Magdeburgum* puta, *Luneburgum*, *Ham-
burgum* & *Lubeca* evulgatis per Theologos suos scriptis,
decretum hoc, seu INTERIM apertè impugnare non re-
formidarunt. Fortè quod à Jove ejusque fulmine remo-
tiores essent. Id quod Cæsari potentissimo maximopere
displicuit; contemni quasi auctoritatem suam ab urbibus,
quam Principes Imperii revereri oportebat. Inpri-
mis *Magdeburgensium* contumacia, vel potius constantia,
offensus ipse, crebris iisque severis edictis in il-
los egit. Et cum minis nihil proficeretur, eosdem pro-
scripsit, ac per *Mauritium* belli contra ipsos decreti sum-
mum præfectum, animos eorundem frangere ac coërcere
tentavit. (50. At postea *Mauritio* prudenter arma mode-
rante,

(48. *Sleidan.* l. XXI.

(49. *Sleidan.* l. c. (50. *Sleidan.* l. XXI. XXII. XXIII. P. SVAV. l. c. p. 330.

rante, superatis variis rerum discriminibus, in gratiam Cæsaris recepti sunt. Imperator enim videns tandem, quas in Germania turbas decretum Augustanum dabat, coepit indies magis connivere in quibusdam non prorsus illud exsequentibus; modo non detraheretur aliquid de ipsius maiestate, neque contemni imperium videretur. Versabantur tum etiam in Germania (§1. Legati Pontificii tres, cum mandatis concedendi autoritate Pontificis quædam, de quibusdam transigendi. Quæ cum jamdudum usurparentur & recte fieri statuerentur, non multum curarunt plerique, quid ab his permetteretur prohiberetur.

§. XXX.

Hactenus quæ *Principes & urbes* aliquot Germaniæ libro *Interimistico* publicato, agere sustinuerunt, commemoravimus. Sequitur, ut à quibus, *publicis scriptis* impugnatus fuerit, etiam attingamus. Ubi observandum discrimen inter eos, qui ipsum INTERIM AUGUSTANUM sigillatim confutarunt, & qui propter controversias τὰ ἀδιαφορεῖν illo tempore agitari coeptas, illud impetere simul studuerunt.

§. XXXI.

Nimirum, ut ex supra dictis jam constat, *Mauritius* gloriosissimus Princeps Cæsaris erga se benignam voluntatem juxta ac potentiam expendens, *Melanchthonem* & antequam publicaretur liber, consuluit, & publicato jam libro Augustano, de novo medio conciliandæ religionis cogitare coepit: quo offensam Cæsaris effugeret atque simul Ecclesiæ Saxonicæ de quiete prospiceret. Itaque post septem ut (§2. *Mylius* numerat, conventus actos & consultationes

(§1. Camerar. in vit. Melanchth. p. 296. seqv. P. Svav. l. c. p. 329. & 333.

(§2. Mylius in chronolog. scriptor. Melanchthon. p. 57.

tationes varias habitas, *Lipsiæ* tandem per deputatos ad id negotii Theologos *Wittebergenses*, *Lipsienses* & alios huc convocatos Doctores novam de *Rebus Adiaphoris* formulam, in quibus Pontificiis cedere queant Lutherani, componi curavit, quæ à (53. *Flacio*, *Gallo*, (54. *Schlüsselburgio* & aliis *Lipsicum* ideò *Interim* vocatur. Quod postea cum *Interim Augustano* *Matthias Flacius Illyricus*, *Nicolaus Gallus*, *Johannes Wigandus*, *Casparus Aquila*, *Johannes Epinus*, *Joachimus Westphalus* & alii vehementer impugnare aggressi sunt.

§. XXXII.

Sed quia in hoc novo scripto componendo *Melanchthonis* partes non postremæ fuerant, multorum ille Protestantium, qui novam ἀναφορὰν, confessionis tempore sequi, nefas ac impium judicabant, suspicionem Crypto-Papismi incurrebat: *Flacio* imprimis & *Nicolao Gallo*, qui *Witteberga* *Magdeburgum* secesserant, classicum ideò quasi canentibus. Imò ipse *Calvinus* in epistola, hujus gratia ad eum exarata & apud (55. *Schlüsselburgium* legenda, virum sibi aliàs valde amicum graviter reprehendere non dubitavit. Quod in causa Dei justo mitior fuisset, & laxasset, quæ verbo suo Deus adstrinxisset; adeoque protervè *Evangelium* insultandi materiam dedisset,

§. XXXIII.

Eqvidem (56. *Camerarius* noster vir doctissimus,
D pro

(53. *Flacius* wider den Auszug des Leipzischen Interims, oder das kleine Interim. Confer der Theologen Bedencken oder Beschluß des Landtags zu Leipzig/ so im Decembr. des 48. Jahres/von wegen des Augspurg. Interims gehalten ist ic. durch Nicol. Gallum und Matth. Flac. Illyricum, impressum Magdeburgi 1550.

(54. *Schlüsselburg*. de *Adiaphorist*. p. 697.

(55. *Schlüsselburg*. de *Adiaph*. p. 635.

(56. *Camerarius* in *vita Melanchth*. p. 309. seqv.

pro jure amicitiae & usu familiaritatis ac necessitudinis, qua Melanchthoni devinctus erat, ipsum omnibus modis excusare nititur: *partim*, quod *INTERIM Augustanum* rejecerit, Carolique Imperatoris iram ideò in se concitarit gravissimam; *partim* etiam quod *LIPSICI*, ut vocabatur *INTERIM de Adiaphoris* scilicet componendi nec savor nec autor primus fuerit. Nam, ut ipse memorat, anno M. D. XLV. prius omninò, quam somniare aliquis potuerit Augustani libri compositionem & editionem, volente Principe Mauritio, Dux Anhaltinus *Georgius* convocaverat Lipsiam præcipuos Theologos & Misnicarum ecclesiarum præfides, eos ferè, quibus cura illarum vivente adhuc Henrico, Mauritiæ Patre commissa esset, ætate plerosque fenes, spectatæ dignitatis & vitæ honestate celebres omnes, ubi de communi concordanteque omnium sententia administrationis ordo descriptus & ratio tam doctrinæ quàm rituum informata fuit. In quo libro omnia ea ad eundem modum fuisse contenta, quo tunc capita illa, de quibus cum Melanchthone disceptarunt Elacius & asseclæ, *Camerarius* scribit. Atque ex his etiam, addit, perspicere licere, quantum situm in temporibus; tum enim certe, cum ista tractata, & conscripta sunt, si ederentur, nemo reprehenderet, ac laudarent potius omnes. Jam verò probata eadem tam contumeliosè respuerunt isti, qui ipsi soli fulcire ecclesiam & hujus ruinas prohibere se credi postulabant. Hæc *Camerarius*.

§. XXXIV.

Enimverò utut viri hujus autoritas aliàs pluris nobis meritò sit, quàm aliorum illius temporis scriptorum testimonia; hæc tamen in parte virum optimum affectui in *Philippum suum* aliquid dedisse, admodum nobis fit verisimile. *Epistola enim Philippi ad Christophorum Carolovvium*

zium scripta & refutationi (57. *Historia Peuceriana* inserta non obscurè testatur, *Philippum*, seu graviore metu, seu nimio moderationis ac pacis studio, plura Pontificiis largitum esse, & in libro illo INTERIM dissimulasse, quam decebat Theologum Augustanæ Confessionis religionem professum. Etenim is, quæ erat animi infirmitate jam XVIII. annis ante, ad Cardinalem *Compegiu*m legatum Apostolicum (58. literis datis professus erat, *levem quandam dissimilitudinem rituum esse inter Papistas & Protestantas, quæ concordie videretur obsistere.* Ac ideò mirum videri non potest, si jam inclinante Protestantium libertate, Cæsari ac adeò Pontificiorum sectæ prævalidæ cedere occæperit. Id quod *Calvinus* etiam improbavit reprehendendo eum, quod Magdeburgenses, Interimistarum acerrimos oppugnatores, de LINEA VESTE tantum rixas movere dixerit. Quasi verò controversiæ illæ, ut dicebantur, *de Adiaphoris*, non ipsam religionem, & quidem confessionis tempore, ubi etiam Adiaphora mutare non licet, attinuissent. Graviter ideo viri timiditatem taxat: *Alia, ut nosti (dicit) tua est, quàm multorum conditio. Plus enim ignominie ducis vel antesignani trepidatio, quàm gregariorum militum fuga sustinet. Ergo ut aliorum timiditati parcatur, nisi æquabile invictæ constantiæ exemplum ostendas: itaque plures tu unus paululum cedendo quærimonia & gemitus excitasti, quàm centum mediocres aperta defectione.*

§. XXXV.

Ne tamen injuria fieri *communi Præceptori Germaniæ*, ullo modo videri queat, fatendum est, eum quidem nunquam librum Augustanum, qui INTERIM cognominatur,

(57. *Histor. Peucerianæ Refutat. c. VI. quæ Consl. Theolog. Witteberg. inserta est.*

(58. *Histor. comitor. August. D. Cœlestini Tom. III, f. 18. 19.*

tur, approbâsse, aut, ut alii eum reciperent, svasisse. Quin potius ex actis conventuum Misenæ, Cellæ, Pegavia, Juterboci, Lipsiæ, & alibi tum temporis habitorum, nec non ex epistolis à Melanchthone ad Electorem Mauritium, ac pastores Hamburgenses & alios scriptis, luculenter apparet, INTERIM AUGUSTANUM ab ipso pro impio ac fallaci scripto semper fuisse habitum. Imò cum anno XLI. similem Ratisbonæ librum compositum, ipsi ad censendum obtulissent, eum reprobavit. Quod *Flacius* non diffitetur, cum super faciem suam illo tempore hocce versus scripsisse refert:

Me jussere Duces fallacem pingere Hyenam,

Et monstri speciem proposuere mihi.

Primus ipse fuit, qui judicium contra Augustanum Interim, postulante Mauritio Electore, composuit, quodque *Flacius* ipso inscio Magdeburgi typis exscribi curavit. Et, cum de eo ad Cæsarem, qui graviter edixerat, ne quis istud ullo modo impugnaret, relatum esset, vix (59. ab ejus iratus fuit. (60. Alibi væ dixit autoribus consilii de INTERIM cudendo. Si quis inspiciat Acta, & quæ ex actis synodicis & aliis diligenter collecta fuit à Theologis quibusdam EXPOSITIO Wittebergæ anno M.D.LIX. Latine & Germanicè edita, deprehendet *Flacium* cum affectu, etsi bonam causam tueretur, affectus vehementia aliquando abreptum, *Philippo* impegisse, quæ ipsi in mentem nunquam venerant. Quare in (61. Epistola, quam præmisit Enarrationi

(59. Camerar. in vit. Mel. p. 289.

(60. Explicat. Melanchthon. in Evangelia Dominicalia part. postrema, in festo omnium Sanctorum p. 539. man sehe iekt das interim an / welche grausame turbationes es hat angeriecht. Væ illis qui sunt autores istius consilii: quia non sanat priores, imò facit novas turbas & distractiones. Es ist fatale malum, Deus punit multa peccata.

(61. vid. Exposition. Theolog. Witteberg. ex Actis Synodic. collect. lit. E. 2. fac. alter.

*tioni Epistole ad Colossenses, doctrinae de poenitentia & vera conversione ad Deum, de injuria sibi illata conqueritur. Et D. Pomeranus Philippi in hoc negotio parastata, Epistola, qua Jonam Prophetam commentariis explicatum, Regi Daniæ inscripsit, DEUM obtestatur Adiaphoristicos scriptores Philippo & sibi fecisse injuriam, spargendo in vulgus chartas, ac si ipsi INTERIM amplecterentur: cum tamen (ut ipse loquitur,) neque *Hinterim* neque *FÜR IHM* foverent.*

§. XXXVI.

Ergò in hoc potissimum *Philippus* cum asseclis graviter errasse censendus est, quod* occasione per INTERIM *Augustanum* data, svasu quorundam ministrorum aulicorum, qui Cæsari & sectæ Pontificiorum aliquo modo cedere, ob temporis rationem, necessarium ducebant, *Adiaphora* nimis laxaverit; ut inde forte conciliatio religionis cum Interim Augustano facilius obtineri & Ecclesiæ tranquillitas, quam enixè optabat, reparari posset. Quod consilium *Philippi*, tempore confessionis edendæ, nec Protestantibus sinceris & cordatis, nec Pontificiis placere poterat. Hi enim, ne latum quidem unguem à veteri superstitione seu falsa religione sua discedere volebant; illi autem Augustanæ confessioni inhærendum constanter censuerunt. Id quod Philippo viro aliàs perspicaci, si absque partium studio fuisset, non poterat esse ignotum. Liber enim Augustanus capita Religionis Pontificiæ, duobus exceptis, complectebatur. Et tamen ille etiam majori Pontificiorum parti displicuit, quippe quæ in nullo doctrinæ capite, Protestantibus cedere statuit, cum in nullo errare se posse persuasum habeat.

D 3

§. XXXVII.

* Confer. P. Svav. Histor. Concil. Trident. l. III. p. 331.

Quin
Inter-
non ex
ac pa-
paret,
fallaci
simi-
dum
iffite-
versus

Inte-
dque
t. Et,
s istud
s ira
e IN-
actis
usdam
Ger-
si bo-
lo ab-
quam
arra-
tioni

strema,
an / wel-
autores
as & di-
collect.



§. XXXVII.

Sed missô jam *Philippo* & certamine adiaphoristico, (quod, ut ex interimistico ortum sit, alio forte tempore docere possumus,) progredimur ad eos, qui sphingem Augustanam directè & quidem publicè impugnatum ivère. Ubi primum nominari merentur *Johannis Friderici Junioris Ducis Saxonie Theologi*, qui judicium de eo compositum edidère, cujus autores præcipuè fuerunt *Nicolaus ab Amsdorff* Episcopus Numburgensis, *Justus Menius* & *Caspar Aquila* Superintendens Salfeldensis. Quorum judicio publicato, Cæsar graviter offensus, laudati Principis captivo Patri (62. *Johanni Friderico* Electori audaciam & animi obstinationem suorum filiorum, hac in parte, ut putabat, immorigerorum exprobrare jussit. Prolixior & accuratior est *Theologorum Lubecensium, Hamburgensium & Luneburgensium confessio & declaratio*, quam Magdeburgi contra INTERIM Augustanum, *Flacii* opera evulgârunt: cujus autorem *Johannem Epinum* fuisse (63. *Sleidanus* & alii testantur. *Theologi*, qui jussu Mauriti Electoris Misenæ convenerant, etiam *Relationem* concinnaverunt, qua, quæ in illo improbanda, aut toleranda essent, exponunt. Hanc cum à Melanchthone scriptam sciret *Flacius*, ipso inscio primum publicari curavit Magdeburgi. *Breviorem* de illo *Relationem* eodem anno composuerat *Theodorus Henetus*, i. e. Matthias Flacius, qua magis historiam, quàm ejus doctrinam erroneam attingit. *Theologorum Sævico-Hallensium & Hassiacorum* sententia de eo Magistratibus exhibita, indicat libri errores breviter. Prodiit eodem tempore sub nomine *Johannis Waræmundi communis Protestatio & lamentatio omnium*

(62. Apud Hortleder. de caus. Bell. Smalcald. Tom. II. l. 3. c. 88. f. 721.

(63. Sleidan. l. XXI.

omnium piorum Christianorum contra INTERIM & consilia interimistica, cujus autorem Flacium fuisse, varia indicia argumento sunt. Hic enim, quamdiu Wittebergæ mansit, suppresso nomine, contra Interim Augustanum, tria scripta, & contra Adiaphororum conciliationes duo edidit. Causas omissi nominis (64. Schlüsselburgius habet. *Parænesis ad Christianos* edita, qua ceu pestem fugere INTERIM illud jubentur, eundem autorem habet. Exiit etiam sub nomine *Christiani Lauterovvar* libellus, qui *Interim ac Islebium* simul perstringit haud dubie à Flacio compositus. *Johannes Amsterdam* verbi divini minister apud Bremenses, scripto peculiari peccata & damna eorum, qui INTERIM vel *adiaphoristicum libellum* recipiant, demonstravit. Præter recensitos jam libellos, plures alii notisunt, quos memorare heic non necessum puto; cum *Lipsum INTERIM & controversias* τὰ ἀδιαφορικά potissimum perstringant.

§. XXXIIX.

Hæc sunt scripta in Germania contra INTERIM AUGUSTANUM, à Protestantibus evulgata: sequitur, ut adducam Pontificiorum de eo sententias publicatas. In Galliis (65. *Robertus Ceralis Abrincarum Episcopus* contra illud potissimum calamum strinxit, quod conjugium sacerdotibus, & cœnam Domini totam vulgo permetteret. Qua occasione atrocissimis verbis in *Bucerum* ob alteram ductam uxorem debacchatur. Romæ ordinis *Dominicani generalis*, uti vocant, *Romæus* in sententiam contra scribere ausus est. (66. *Maimburgius* solum
P. Nico-

(64. Schlüsselburg. in Narrat. actionum & certaminum Matth. Flacii p. 814.

(65. Sleid. l. XXI. f. 365. & Thuan. l. IV. Hist. p. 350. adde Petr. Svav. I. alleg. p. 331.

(66. Maimburg. loc. alleg.

P. Nicolaum Bobadillam nominat, qui inter Pontificios in Germania notos, contra decretum hoc scribere sustinuit. Eum enim ab Ignatio Lojola novæ sectæ patriarcha, in Cæsaris aulam missum illo tempore fuisse tradit, ut Protestantes in salutis viam reduceret. Cæteri vel ob Cæsaris auctoritatem, quam verebantur; vel quod cum Papa præviderent, consilium hoc Cæsaris à Protestantibus rejectum iri, illud impugnare supervacaneum putarunt. Georgius Wicelius Fachsenfis illud potius propugnare studuit, edita contra Lutheranorum de Interim sententias *apologia*, quæ Colonia anno XLIX. impressa est cum gratia & privilegio imperiali. Moronus & prudentes aliqui ex Bononiensibus Episcopis Pontifici R. disvaserant, ne librum vel impugnaret vel corrigeret, cum in illo esset *mera*, ut (67. Pallavicinus loquitur, *quædam indulgentia, seu potius quædam restrictio, quæ Lutheranos coarctaret. Quare si Pontificii manum admovissent, nihil aliud effectum iri, nisi ut cum auctoritate Pontificis liceret lutherizare.* Ideo ipsi maluerunt Papizare h. e. tacere. §. XXXIX. In Germania interea controversiæ ex libro illo Augustano ortæ non desinere; donec *transactio Passaviensis & Religionis pax* inde anno M. D. LV. secuta, eas quodammodo mitigaret. Nam novas illas lites adiaphoristicas etiam post illam pacem, in Saxonia maxime & alibi schismata excitasse, notius est, quam ut heic narrari debeat. Finem demum his certaminibus imposuit (68. *Formula*, quæ dicitur *Concordiæ Christianæ*. Cæsar autem spe suâ, quam animo de * subigenda per hanc occasionem Germania,

(67. Sfort. Pallavicin, in hist. conc. Trid. l. XI. c. 1.

(68. vid. Hutteri F. Concord. Exposit. supra allegat.

* Petr. Svav. l. all. p. 328.

mania, conceperat, excidit. Hinc de rigore erga Protestantes usurpato, postea etiam remisit.

§. XL.

Ex hac narratione disci potest, quam infeliciter cesserit tentata diversarum religionum conciliatio, vel, ut Græco vocabulo, (69. à *Melanchthone* jam in hoc negotio usurpato, dicitur *Syncretismus*. Sane, si quis mores hominum ac circa religionem persuasiones animi diversas, secum reputat, mirandum est, *Carolo V.* Imperatori persuaderi potuisse, ut in talem sententiam rationemque incumbendum putaret, eo tempore, quo tyrannis & religio Papæa maximè exosa esset Germanis. Potuisset ille, nisi novis victoriis elatior factus esset, pro sagacissimi animi prudentia & diuturna experientia intelligere, quò evasissent similia negotia; scilicet neque re ipsa consistere atque valere, neque temporibus congruere, magisque ac citius novas contentiones atque pugnas commovere, quam certamina atque rixas priores sedare. Accidit enim heic id, quod usu venire solet iis, qui contrarias opiniones student conciliare, ut utriusque in media opinione oppugnanda, vires suas confocient, ipsi interim in opinione sua, multo, quam ante obfirmatiores. Quod est judicium cordatissimi scriptoris & à nobis sæpius laudati (70. *P. Sarpii*, seu *Suavis* vulgo dicti.

§. XLI.

Exemplo hoc sapere debuissent, qui annis superioribus, & nostro adhuc tempore, trium magnarum in Europa religionum *conciliationem*, aut, ut ipsi loqui amant, *tolerantiam* h. e. tacitam adprobationem svadere aut proponere, privato ausu moliti sunt. Sane si quis ex veteri

E histo-

(69. *Melanchth.* Epist. supra §. 35. allegata.

(70. in *Hist. Conc. Trid.* p. 331. Confer. *Camer.* in vita *Melanchth.* p. 289.

historia, *Constantini M.* consilium pacis, in causa Ariano-
rum, apud (71. *Eusebium*, vel *Zenonis* Imperatoris *ἐνωλιχὸν*
apud (72. *Evagrium* descriptum, aut etiam *Basilisci* Ency-
clicas Epistolas apud (73. *eundem* allegatas repetit, & cum
historia Interimistica ac Syncretistica conferre instituit:
simulque curiæ Romanæ statum expendit, deprehendet
ejusmodi, consilium (74. valde simplex esse, semperque
fefellisse pacisci volentes, non substrato veritatis cœlestis
fundamento. Non verear dicere, qui primum infau-
stum hoc consilium in medium attulere, statum Ecclesia-
rum Protestantium in Germania non satis intellexisse,
parumque fuisse providos. Alias enim prævidissent, id
turbis ciendis idoneum esse, & efficere posse, ut quibus re-
ligio levis est, fortuna forsan arridente, facilius à Religio-
ne Protestantium, ad Pontificiorum aut Calvinianorum,
transiliant. Id quod factum esse, uno alterove exemplo
illustri probari potest. DE US efficiat, ne ejusmodi reli-
gionum mangones, aut conciliatores inepti Ecclesias
Protestantium, quæ hinc inde premuntur, in posterum
affligant, aut etiam turbent amplius. Ipse vasta ho-
stium Ecclesiæ consilia dissipet, ac pacem
nobis in Germania servet!

S. D. G.

(71. Eusebius de vita Constant. l. II. c. LXII. usque ad LXXIII.

(72. Evagrius Hist. Eccl. l. III. c. 14. & seqv.

(73. lib. III. c. 4.

(74. vid. Nobiliss. nostri Pufendorffii *Introduct.* in *Histor. recent.* c. XII.
§. 40.

COROLLA

COROLLARIA.

I.

Studia literarum non reddunt homines ineptos ad negotia gerenda.

II.

Quædam studia neque in vita civili, neque Christiana usum habent.

III.

Qui literis ineptis aut curiosis incumbunt, plerumque magis superbiunt, quam qui utiles tractant.

IV.

Qui verum studiorum finem ignorant, illi sæpius inanes literas magis sectantur, quam utiles.

V.

Recte Fr. Baconus Serm. Fidel. XXXI. de suspitione: Suspiciones mentem obnubilant; amicos alienant, & negotia interpellant; ita ut nec alacriter nec constanter, peragi possint.

VI.

Recte idem Serm. IX. Qui in plurimis excellere contendunt, levitate & gloria vana mori, necesse est, ut sint invidi.

VII.

Variscia non videtur esse Armalausia.

VIII.

79 4979 GA

IIX.

Illustri natorum loco studia vitæ, non Scholæ attemperanda sunt.

IX.

De religione disputare non solum licitum, sed quandoque necessarium est.

X.

Suprema causa conversionis rerum publ. DEUS est.

XI.

Monarchia Papalis majori arte regitur, quam ulla civilis, quæ in orbe terrarum unquam extitit.

XII.

Syncretismus qui dicitur Religionis, Statui Protestantium in Germania noxius est.

F I N I S.



N.C.



cholæ

m, sed

l. DE-

quàm
titit.

Statui

N. E.

ULB Halle 3
004 967 992



1077





QK 213
QK 213, 5

IN
AUG

DISSERT

L. ADA
Utrius

ACAD
XXI.

WOLF
Augustobur

Typis CHR

Ng
4979

838

O,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
1915

4

